



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Militia Sacra || Dvcvm Et Principvm || Brabantiaë,||

Molanus, Johannes

Antverpiae, [1592]

Godefridvm Ducem Lotharingiae in sacro exercitu obijssse. Cap. XXXVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38114

pabilem dicat, cum Samuelé sanctum & alios plures sacerdotes pariter legamus & iudices. GODEFRIDVM Duce[m] Lotharingie in sacro exercitu obijisse.

C A P. X X X V I.

CLARVIT sub Archiduce Brunone Dux Godefridus. Sed qui ante eum anno IX^c. LXIV. obiit ex pestilentia & mortalitate in eo exercitu quo Otto Romam obsidens, Romanos coëgit, abdicato Benedicto Apostolicæ sedis inuasore, Leonem VIII. in Apostolicam sedem restituere.

Hic v. r. cõ-
puto Brabantia
Ducem ex
beneficio Im-
peratorii.

Qualis autem fuerit hic Dux, descriptum est à Rothgero: Pius, inquit, pastor & Archiepiscopus Bruno, domino & fratri suo auxiliares copias non leuem armaturam de Lothariorum populo misit. Iis præfecit Godefridum Ducem, quem ipse nutriuit, virum sapientem & religiosum, amantissimum pacis, obseruantissimum æquitatis, Imperatori per id tempus ad votum seruientem, omnibus placentem. Hic eodem tempore febri correptus, in magnam spem futuræ quietis expirauit. De cuius innocentia quodam modo securus, quasi testis & conscius vitæ eius pius Pater Bruno, cum de pecunia dispensanda ageretur pro remedio animæ illius, non valde illum talibus indigere asseruit.

Vita Bruno-
ni cap. 40.

Interregnum Ducatus.

QVIs porro Duci Godefrido aut Archiduci Brunoni in administratione Ducatus

catus Lotharingæ usque ad annum LXXVII. proximè sequentem successerit, non video alicubi notatum. Et fortassis Magnus Otto, eiusq̄ filius Otto secundus, per hos annos Ducatum sibi reseruarunt. Siquidem Otto totam Lotharingiam sibi subiugauerat: quod Urspergensis Abbas notauit ad annū 1000. XLVI. & Sigebertus ad annum sequentem.

De sacra militia OTTONIS secūdi Imperatoris.

C A P. X X X V I I.

*Hic unū cre-
auit Brabā-
niæ Ducem.*

OTTO secundus, Magni filius, patri in Imperio successit, qui Theophaniam, sororem Ioānis Græciæ Imperatoris, vxorē duxit.

Hic prima militiæ tyrocinia patre viuo magna cum laude fecit in bello contra Græcos & Sarracenos in Italia vltiore, quos tota p̄nè Calabria & Apulia eiēcit: Sarracenis quidem, qui recens Consentiam nec opinato aduentu oppressam receperant, & cum Græcis societatem inierant, partim cæsis, partim dissipatis.

Et quanquam præclarè sese habuerint initia, tamen quæ sub Imperio secuta sunt, principis non responderunt.

Nam postea Basilius & Constantinus Imperatores, fratres Theophaniæ, cum superatis prosperè in Syria, atque ex Creta etiam insula exturbatis Sarracenis, Ottonem domesticis bellis distineri comperissent; conductis pecunia ad belli societatem Sarracenis Siculis,